



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 5. Est-ne peccatum omittere aut mutare aliquam ex ceremoniis ab Ecclesia præscriptis in Sacramentorum administratione?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

Ex quibus concludi potest, idem dicendum esse de reliquis Sacramentis; quia ex Tridentino, quamvis major adhibenda sit præparatio ad recipiendam Eucharistiam quam ad alia Sacramenta, necessarius tamen semper est status gratiæ, pro administrandis omnibus Sacramentis; ac proinde necessariæ sunt omnes dispositiones, quas requirit Concilium, ut habeatur certitudo moralis, quod quis non sit in statu peccati mortalis; proindeque tenetur quis confiteri habitâ Confessoris copiâ, si se noverit esse in peccato mortali, cum Concilium judicaverit hanc dispositionem requiri ad habendam illam certitudinem moralem.

Secundò, quia nunquam potest esse vera contritio, quando quis se peccati mortalis reum agnoscens negligit confiteri, habitâ copiâ Confessoris: nam ut vera sit contritio, debet continere firmum propositum confitendî quam primùm, nec confessionem proinde negligere, quando ejus faciendæ habet facultatem; atqui constat in casu proposito, eum qui solo contritionis actu contentus est priusquam Sacramentum administret, non habere hoc firmum propositum confitendî quam primùm, cum id non curet, licet id possit commodè facere ut supponimus; certum igitur est, ejus contritionem non esse veram.

Quaest. 5. Est-ne peccatum omittere aut mutare aliquam ex ceremoniis ab Ecclesia præscriptis in Sacramentorum administratione?

Resp. Urique peccatum est, ut expressè definit Concilium Tridentinum his verbis: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesia Catholica ritus in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut communi, aut sine peccato à Ministris pro libito*

Conc. Trid. sess. 7. Can. 13. De Sacram. in genere.

omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesia Pastorem mutari posse, anathema sit.

Quaest. 6. Est-ne necessarium ad validitatem Sacramentorum, ut is qui ea confert, sit Minister ad id specialiter deputatus?

Catechif.

Conc. Trid.
De Sacrament.
in genere.

Resp. Est absolute necessarium; ait enim Catechismus Concilii Tridentini: *Non minus enim Ministrorum Officio, quam materiâ & formâ ad Sacramenta conficienda opus esse, perpetuâ sanctorum Patrum traditione confirmatum est.*

Conc. Trid.
sess. 7. Can.
10. De Sacram.
in genere.

Et Concilium Tridentinum ait: *Si quis dissixerit Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandis, habere potestatem, anathema sit.*

Et ratio est, quia cum Sacramenta non operentur nisi virtute supernaturali, non possunt valide administrari nisi serventur omnia, quae à Jesu-Christo in eorum institutione praescripta sunt. Unde necessarium est ut is qui illa administrat, receperit ab eo hanc potestatem, & ad id fuerit specialiter deputatus. Videbimus autem agendo de Sacramentis in particulari, quinam sint Ministri à Deo destinati ad ea conferenda.

Quaest. 7. Quanam sunt aliae dispositiones requisitae in Ministro Sacramentorum?

D. Carol. act.
p. 4. De Sa-
cram. adminis-
tratione.

Resp. Praeter intentionem quam habere debet faciendi quod facit Ecclesia, administrare ea debet maxima cum devotione interna & externa, ac proinde, ut ait Divus Carolus: *Sacramentum aliquod cum ministrat ut id magna cum religione praestet, singula verba, quae ad illius formam rationemque pertinent, omni animi attentione & pietate distinctè pronuntiabit, & clara item voce, ut ab illis audiatur quibus ministratur. Sacras item preca-*